

Oratio habita in Gymnasio Patavino, cum primum a practica medicina ad theoreticam ex prima sede tradendam esset evectus / [Jacopo Piacentini].

Contributors

Piacentini, Jacopo, 1672-1762.
Università di Padova.

Publication/Creation

Padua : Typis Seminarii, 1742.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/y6ck6r9w>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



EE



63013/13

D
6.29


The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark

PIACENTINI, J.



T8

JACOBI PLACENTINI

ORATIO

HABITA

IN

GYMNASIO PATAVINO,

*Cum primum a Practica Medicina
ad Theoreticam ex Prima Se-
de tradendam esset
e-uectus.*



LONDON MEDICAL SOCIETY

PATAVII, MDCCXLII.

Typis Seminarii.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

SENATORIBUS PRÆSTANTISSIMIS,
DANIELI BRAGADENO

Equiti, & D. Marci Procuratori,

PETRO MOCENICO,
JOANNI QUIRINO

D. Marci Procuratori,

Totique Ordini Triumvirum Academiae
Patavinæ curandæ

JACOBUS PLACENTINUS F.



*Practica Medicina ad
Theoreticam in hoc
celeberrimo Gymnasio
primaria ex Sede tra-
dendam, quod virium mearum
consciis optare ausus nunquam
fuis.*

fuissem , singulari benignitate Ve-
stra , SENATORES AM-
PLISSIMI , euectus , statim
cogitare cœpi , quemadmodum pro
virili parte providerem , ne for-
te Auditorum animi inducerentur
in fraudem per opiniones duas
Medicorum alioqui minime vul-
garium , unde non mediocria in
artem nostram detrimenta mana-
runt . Sunt enim , qui arbitren-
tur , adeo parum momenti esse in
Philosophia , ut studium ejus o-
mne tanquam inutile arti nostræ
negligant , & pro nihilo prorsus
ducant . Non desunt contra , qui
Philosophia plus æquo tribuant , ac
se totos speculationibus philosophicis
dedentes , posthabitis observationi-
bus , curiosa magis , quam utilia

consectentur. Quos utrosque totam
ignorare viam, qua perveniri ad
artem possit, cum animadvertere-
rem; novum munus aggrediens,
orationem habui, in qua demon-
strandum suscepi, quid de homi-
ne, & quatenus investigari, &
cognosci a medico oporteat. Id au-
tem me non alia melius ratione
consequi posse putavi, quam si re-
fellerem eorum argumenta, qui
nihil propemodum de homine cogni-
tum nobis esse, audacter affir-
mant: ostenderemque, quamvis
de genuina, atque ultima humani
corporis œconomia lateant adhuc
non pauca in obscuro; omnia il-
la tamen, quæ proprie pertinent
ad artem nostram, via & ratio-
ne quærentibus satis esse perspecta.

Delegisse videor mihi argumen-
tum, quod neque a veritate ab-
horrere, neque prorsus inutile es-
se, sine ambitione verum scru-
tantibus judicari possit, cum in-
stituto certe Magni Hippocratis
recte consentiens, qui, quidquid
de homine cognosci potest, accurate
quidem perpendit, sed intra ar-
tis unius fines, quibus se continuit
religione tanta, ut medendi artem
ab studio sapientiæ separasse dictus
ab Celso fuerit. Hunc vero in-
dustriæ meæ fructum, qualiscun-
que demum sit, inscriptum VO-
BIS, dicatumque esse volui; ut,
si non quale vehementer cupio,
quale saltem possum, grati erga
VOS animi extaret testimonium;
præterea ut, quam sibi gratiam

comparare oratio ipsa nequit, eam
illi conciliaret gravissimum prae-
dium atque ornamentum NO-
MINUM VESTRORUM.
Intelligo, SENATORES
AMPLISSIMI, rem a me
VOBIS offerri, quae neque splen-
dori atque amplitudini VE-
STRÆ, neque iis officiis,
quae in me eximia contulistis,
ulla ex parte respondeat: summa
tamen humanitas VESTRA,
quae in me ornando maxime eni-
tuit, spem ostendit non vanam
fore, ut, quod videri facile
potest minus Vobis dignum, di-
gnum tamen per VOS ipsi fa-
ciatis. Deus Optimus Maximus
VOS & REIPUBLICÆ,
quam optimis consiliis feliciter ad-

ministratis ; & Musis nostris ,
quas regia Munificentia fove-
tis , quam diutissime incolumes
servet .



O R A T I O.



Uod pie sancteque majores instituerunt, ut tum rerum agendarum, tum dicendi initium a precationibus caperetur, id mihi profecto hodierna die censeo usurpandum; quo *Præsentem ac Præpotentem Deum* adorem, poscamque supplex, ut vires suggerat pares oneri perarduo ac perdifficili, quod ab *Triumviris* Gymnasii hujusce *Moderatoribus Amplissimis, Augustoque Veneto Senatu*, Musarum nostrarum arbitro atque altore munificentissimo, mihi demandatum est: quem florentissimæ Juventuti in hoc bonarum artium, omnisque disciplinæ Domicilio, non postremo ex loco tradentem hætenus practicam Medicinam, in primum hunc, ex quo theoreticam explicarem, nihil tale cogitantem ultro extulerunt. Demandatum autem est homini occupato non parum, & exercendæ Medicinæ causa a docendi munere identidem abstracto.

De-

Demandatum est devexa jam ætate; in qua ætate etsi otium & quietem appetere æquum plerumque fortasse non sit; minuendi tamen laboris causas libenter amplecti honestum videri possit. Accedit, quod in eum me locum succedere videam, quem præclarissimi Viri semper antea tenuerunt, nostra autem memoria, *Pompejus Sacchi*, & *Dominicus Gulielminus*, Præceptores olim mei, & *Antonius Vallisnerius*, qui tradendis Medicinæ præceptis, editisque ingenii & doctrinæ monumentis claruerunt, novissime vero *Jacobus Cicogninus*, quem præcipui honoris causa nomino, qui que hoc munus gravissimum complures annos summa cum laude sustinuit, sustineretque adhuc, nisi ob adflictam valetudinem causariam honestamque missionem ab *Senatu* impetrasset. Precatus igitur opem *Divinam*, testatusque *Triumviris Litterariis*, *Augustoque Senatui*, tantam me gratiam habere, quantam maximam capere animus potest, plenum opus alexæ aggredior, ea spe boni exitus, quam vestra mihi non semel antea perspecta humanitas facit.

Permultos esse intelligo, qui partem Medicinæ, quæ theoretica vocatur, illis qui practicam exercent, non attingendam prorsus existiment, quæque in ea tractantur, dubia esse omnia & incerta, nullum denique ex illorum intelligentia emolumentum

capi posse arbitrentur. A quibus ego quoniam ita dissentio, ut nullam fere facultatem nec certioribus principiis niti, nec uberiores fructus, dummodo curiosa magis, quam utilia non consectemur, nobis afferre contendam; constitui hodierna die, vobis disceptatoribus atque arbitris, illam ab obtrectatorum calumniis vindicare. Et vero quid aut huic tempori, aut meo muneri facere convenientius possum, quam ut eam facultatem, in qua me non omnino nihili esse homines putent, perhumaniter plura mihi tribuentes, quam ego met mihi tenuitatis meæ conscius arrogare audeam, oratione mea a contemptu imperitorum pro virili tueri ac defendere, meritisque efferre laudibus coner? Quod quidem eo facio libentius, quod una opera indicandum erit, quodnam officium & munus Medicorum sit, ac simul ostendendum, adversarios nostros magno in errore versari, qui, non intelligentes, quæ partes sint theoreticæ Medicinæ, non postulant modo, sed flagitant a nobis, quæ ab officio nostro aliena prorsus sunt, quæque ne acutissimi quidem Philosophi, quantumvis connitantur, præstare possint.

Atque ut ab adversariorum Oratione exordiamur, quando, inquiunt, theoretici Medici percipere ac definire non possunt, unde sanus homo, unde æger sit, an non

(XII)

tota quanta est , eorum doctrina vacillat & claudicat? Homo , ut notum est , tripliciter spectari potest , ut mistum quoddam est , ut machina , ut vivens & animal. Quodsi appareat , nullo prorsus modo illum a Medicis cognosci ; jam confecta res erit : constabit enim , neque quid sanitas sit , neque quid morbus , ab illis comprehendi.

Si illum in primis consideremus ut mistum quoddam est , ex elementis constat. Verum tam variae sunt circa ejus elementa tamque discrepantes Philosophorum Medicorumque sententiae , ut magno argumento esse debeant , illum a nemine cognosci. Alii quippe ex Empedoclis & Aristotelis elementis coagmentari illum volunt , alii ex Chymicis , multi ex Mechanicis : neque desunt , qui ex omnibus effici putent , & nodos medicarum quaestionum modo his , modo illis solvant , prout in rem cadere videntur , nihil interesse judicantes , quo modo illos solvant.

An vero , ut est Machina , comprehendi a Medicis unquam potest? Præclari hujus divinique operis fabricatio ex tribus per Hippocratem (1) constat , ex continentibus , ex contentis , & ex iis , quæ intus permeant , & movent .

Quis autem continentia illis perspecta esse

(XIII)

esse judicabit ? Continentia cum dicimus, non magnas illas partes intelligimus, quæ in conspectum cadunt, sed quæ tam exiguæ subtilesque sunt, ut vim omnem efugiant oculorum. Hujusmodi sunt tenuissima illa stamina, ex quibus humanum corpus primum contextum est, fibræ item, tum nerveæ, tum musculares, nec non glandulæ, quibus pleraque omnia viscera, & universum fere corpus confertum est. At quis unquam vidit primorum illorum staminum contextum, quis fabricam fibrarum nervearum, solidæne sint (1), an cavæ (2); quis formam muscularium, fistulatae ne (3) commeabilesque sint, an in cellulas sive rhomboidales (4), sive ovales (5) divisæ? Quis demum novit schema glandularum, utrum vesciculares sint

(1) *Solidæ ex Martino Lister Exercit. Anat. altera de Buccinis fluviatil. & marinis. Vide Jacobum Mangerum in Theatro Anat. lib. 1. Cap. 6. de Nervis.*

Stamina solida, non corpora tubulosa ex Godefrido Biddloo Exercit. Anatomico-Chirurgic. decad. 1. Exercit. 1. de Nervis, & 10. Non perviæ, sed cellulis globulos repræsentantibus interstinctæ ex Cowperi Anatome in explic. Fig. 6. T. 10. de Nervi structura. Vide Joannem Bapt. Morgagnum in Adversar. Anatom. 2. Animadvers. 34.

(2) *Cavæ, etsi non appareant, ex plerisque aliis, cum Thoma Vuillio de Cerebri Anatome Cap. 19. & Raymundo Vieussenio in Neurographia Universali lib. 3. de Nervis, Cap. 1.*

(3) *Hermann. Boerhaave de Musculor. Actione, n. 394.*

(4) *Alphonf. Borell. de M. A. P. 1. Cap. 17. Prop. 114.*

(5) *Joann. Bernul. Dissertat. de Motu Musculor.*

(XIV)

sint (1), an vasculosæ (2)? Illud tamen apertum est atque perspicuum, ab tenuissimis hisce, & incomprehensibilibus partibus nostri corporis præcipua vitæ munera sustineri: quando, ut præclare ait Plinius (3), *natura nusquam magis tota est, quam in minimis*. Ab his quippe manat omnis sensus, ab his omnis motus, per has omnes secretionem fiunt, derivationesque fluidorum: nullum denique est vitæ munus, quod ab his non efficiatur.

Neque vero contenta minus obscura videntur. Si Galenicis fides habenda sit, fluida nostri corporis ex quatuor humoribus conflantur: si Chymicos audiamus, ex quinque constant eorum principiis. Mechanici minus absurdi fortasse sunt, qui ex particulis variæ ac diversæ magnitudinis, figuræ, & motus illa generaliter effici volunt: ubi vero, quæ sit cujusque particulæ magnitudo, quæ figura, qui motus, sibi, ut libet, & commodum est, imaginantur & fingunt, an non garrere, & somnia narrare videntur?

Quid porro judicandum de his, quæ intus permeant, & Machinam movent? Nihil profecto de his dictum a Medicis, nihil

(1) Marcell. Malpighius de struct. Glandularum Epist. R. Societati Londinensi missa.

(2) Fridericus Ruyschius in Prodrum. Thes. Anat. 6. & in Thesauro Anatom. 10.

(3) Nat. Hist. lib. 11. Cap. 2.

(XV)

hil cogitatum est , quod in dubium incertumque non revocetur . Hoc in primis controversum est , sintne spiritus animales , necne sint (1) . Qui vero eos esse contendunt , tanta sunt in varietate & dissensione constituti de materia , ex qua sint , de forma , de generatione , de motu , ut eorum molestum sit enumerare sententias .

Si demum hominem contemplemur , ut vivens & animal est , pro Deus immortalis quam abstrusa sunt omnia ! Homo duabus rebus constat , animo , & corpore . Sed cuinam Medicorum : Medicorum , inquam ? immo cuinam Philosophorum exploratum est , quæ sit animi , quæ corporis natura , quæ proprietates , quæ affectiones , quæ ratio consensus affectionum earundem ? His autem non perspectis , an cernere Medici unquam possunt , qui morbi corporis creentur ex morbis animi , & vicissim : quibus motibus in iisdem morbis cieantur nervi , quibus cor , & ceteri musculi , quibus vasa sanguifera : quæ secretiones plenius & uberius fiant , quæ parcius , quæ pervertantur , quæ sistantur ? Zamolxis olim Rex , & Medicus Scytharum , ut

re-

(1) *Gulielm. Harveus , ut colligere licet ex libro de Gen. Animal. Exercit. 71. de calore innato.*

Melchior Frizzius in Paradox. Paradox. 2. Martinus Lister, Bidlous, Cowper, loc. cit. Vide Petrum Antonium Michellottum Dissert. de separat. in corpore animali , Cap. 2.

refert Plato, (1) *quemadmodum oculos, inquit, sine capite curare non decet, neque sine reliquo corpore caput; ita neque sine anima corpus. Eaque causa est, cur Medicos graecos morbi corporum multi lateant; quia totum ipsum ignorant.*

His omnibus accedit alia causa, eademque gravissima, quare ætiologia morborum Medici careant. Eo nimirum artificio fabricatus est Deus humanum corpus, ut ejus partes omnes admirabilem inter se consensionem habeant. Fluida moventur a solidis, & solida vicissim a fluidis; ut circulo quasi quodam suarum affectionum & causæ & effecta invicem sint. Hoc non minus eleganter, quam vere indicavit Medicorum Princeps, (2) cum inquit, *principium corporis nullum est, sed omnia similiter principium, & omnia finis: descripto namque circulo principium non invenitur: eademque ratio morborum in toto corpore.* Ea re fit, ut perdifficile, immo prorsus impossibile cognitu sit, quid primum in morbis peccet, quid secundo, quid postremo, quæ eorum causæ, quæ effecta sint, quæ causarum proxima & continens, quæ remotior, quæ remotissima. Ex quibus illud plane consequitur, ut formam morborum perquirentes Medici, unde incipiant, quo

(1) *In Charmide.*

(2) *Lib. de Loc. in hom. n. 1.*

(XVII)

quo tendant ; desinantque incerti, in ipso quasi limine hæere cogantur.

Hæc sunt, Auditores, argumenta, quibus artis nostræ obtrectatores eam deprimere & convellere conantur : quæ tametsi falsa omnino captiosaque sunt ; cum tamen periculum sit, ne ob veri speciem, quam præseferunt, imperitos in fraudem inducant ; muneris nostri esse ducimus, quantum id quidem in nobis positum erit, eorum fallaciam ostendere. Atque ut, quæ nobis objecta sunt, eo, quo objecta sunt ordine, diluamus ; hominem dicunt non percipi a nobis, neque ut mistum quoddam est, neque ut machina, neque ut vivens & animal : non percipi ut mistum, vel ex eo apparere, quod ejus temperamenta & affectiones modo per Aristotelea elementa, modo per Chymica, nunc per Mechanica, sæpe per omnia explicare & definire contendimus. Verum ecquis in eas nos angustias compellat, ut ad tot humani corporis temperamenta & qualitates, ad tot vitia humorum, ad tot vires remedium demonstrandas, unius duntaxat generis elementa usurpemus ? Quod si omnium artium magistri suo jure postulant, ut varia sibi ac multiplicia præbeantur instrumenta, quæ ad opera sua efficienda sunt necessaria ; quanto id magis nobis concedendum est, ut ad explicanda natu-

(XVIII)

ræ opera , quibus nihil subtilius excogitari potest , nihil artificiosius , nihil divinius , utamur varii generis elementis ; quando præsertim constat , naturam ipsam ad illa efficienda varia ac diversa adhibuisse ? Aristoteleane rejiciemus : illa nimirum , ex quibus pleraque omnia , quæ gignuntur in terra , confecta sunt : illa , quæ nos nunquam non afficiunt suis qualitatibus : illa demum , a quibus & sanitas , & morbi identidem creantur ? Chymica non usurpabimus , quæ nulla artis opera se produnt : & quorum quanta sit vis ad evolvenda naturæ arcana & Græci , & Arabes , & Latini , cum Hippocrate (1) & Galeno (2) optime noverunt : qui cum vitia & morbos humani corporis , cum vires medicamentorum accuratius , quam per vulgaria elementa , describere ac definire voluerunt , & acidas particulas , & acres , & falsas , & ponticas , & oleosas arcescere non dubitaverunt ? An demum Mechanicis uti non licebit , ex quibus cetera omnia confecta sunt , & in quæ ultimo resolvuntur ? Mechanicis , inquam , uti non licebit ? dummodo tamen perverse non utamur , neque Philosophos illos & Medicos imi-

(1) *De Veter. Medic. n. 24. De Natur. Hom. n. 11. De Carnib. n. 13.*

(2) *In lib. Hipp. de Nat. Homin. Comment. 1. n. 36 & de simplic. Medic. Facult. sæpe.*

imitemur, qui elementorum particulis, quæ nullis sensibus percipi possunt, magnitudinem, figuram, motum attribuentes arbitrato suo, Philosophiam plane omnem omnemque Medicinam anilibus fabulis refererunt.

At hominem non cognoscimus, ut est Machina: in molitione quippe tanti operis nec continentia cernimus, nec contenta, nec quæ intus permeant, & movent. Enimvero qui ita sentiunt, & falsa eos sentire manifestum est, & ignorare prorsus, quod munus nostrum, quæ partes sint, quæ de humano corpore scitu nobis utilia sint, & necessaria, quæ supervacua, quæ ne curiosius quidem inquirenda.

Age vero ab his partibus incipiamus, quæ continentes vocantur. Nemo in primis inficiabitur, illas a nobis pervideri, ac penitus cognosci, quæ sensibus quacunque ratione & via percipiantur. Harum quippe magnitudinem, figuram, numerum, situm, connexionem, per sectiones cadaverum, per varias præparationes, per injectiones liquorum, perque microscopia, accuratissimi Anatomici, nostri (1) præsertim, qui multis præclarisque inventis & operibus eminent inter omnes, perlustra-

B 2 ve-

(1) *Gabriel Falloppius, Hieronymus Fabricius, Andreas Vesalius, Matthæus Realdus Columbus, Joannes Veslingius, Dominicus de Marchetis, Joannes Baptista Morgagnus, &c.*

verunt diligentissime , & accuratissime descripserunt : nos vero illorum vestigiis insistentes morbos partium earundem , qui magnitudinis , figuræ , numeri , situs , connexionis dicuntur , & investigamus , & tenemus . Illas vero , quæ tam exiguæ sunt , quarumque tam solers subtilisque machinatio est , ut ne lynceus quidem oculus intueri illas possit , neque perspicimus , neque nos pudet fateri , non perspicere ; quando nemo mortalium eas unquam cernet . Verum quamvis earum fabrica & artificium nobis ignotum sit ; usum tamen , quod muneris nostri est , & quærimus , & assequimur . Nullis , ne microscopio quidem instructis , oculis cernimus meatus & poros fibrarum nervearum ; novimus tamen per nervos (1) perque arterias , & sensus , & motus , & nutritionis munia persolvi , observatione satis edocti , obstructis , scissis , aut quovis modo vitiatis alterutris , hæc omnia perverti , aut deleri . Muscularium fibrarum fabricam non cognoscimus , fistulatæne commeabilesque sint , an in cellulas , five rhomboidales , five ovales , divisæ ; clare tamen & perspicue intelligimus , his contrahentibus se , & relaxantibus vicissim , exerceri omnes motus , & fluida omnia per canales suos per-

(1) *Raymund. Vieusseni. Neurograph. lib. 1. Cap. 15. & lib. 3. Cap. 1.*

(XXI)

petuo cieri : atque ubi earum motus juxta normam naturæ fiant, vitam hominum & incolumitatem fervari : ubi vero, iisdem vel spasmus, vel atonia, vel paralyfi correptis, earum motus aut pervertantur, aut sistantur, morbos creari, & mortem. Non perspicimus demum schema glandularum, vesciculares ne sint, an vasculosæ: immo, ut vera fateamur, modum rationemque non tenemus, quare varii generis humores hauriant, & percolent; earum tamen usum perspectum habemus: novimus quippe eosdem humores per hæc emissaria ab sanguine secerni: hos vero, si corpori utiles sint, aut necessarii, derivari in partes, quibus sunt utiles, aut necessarii: si nullius sint usus, aut graves naturæ, ab corpore amandari. An vero Medicus in his perscrutandis operam perdat, quæ *supervacanea esse*, judicavit Celsus, (1) *quoniam incomprehensibilis natura sit*: in his, quæ Hippocrates (2) censuit, *non tam ad artem medicam, quam ad pictoriam pertinere*; in his demum, quæ nulla ratione investigari posse demonstravit Galenus (3), qui, *satis tibi sit*, inquit, *novisse, unamquamque humani corporis particulam pro rerum commoditate atque*

B 3

usu

(1) In Præfat.

(2) De Prisca Med. n. 36.

(3) De Usu Partium lib. 15. Cap. 1. Ex interpretatione Joann. Fernelii de Abd. Rev. Caus. lib. 2. Cap. 3.

(XXII)

usu constructam fuisse : si vero præterea conaberis , quo pacto ita facta sit , inquirere , palam fiet , nec tuam imbecillitatem , nec Opificis illius te sentire potentiam . Et sane quodnam emolumentum putatis harum rerum intelligentiam in artem Medicam hætenus invexisse ? An (1) Apoplexia , Epilepsia , Convulsio feliciter curantur , postquam (2) corticales glandulas cerebri , (subtiliusne , an verius , (3) non facile dixerim) excogitavit Malpighius ? An ob vesciculas Pulmonum ab eodem (4) repertas , aut Phthisi , aut Asthmati , aut Peripneumoniæ melius medemur ? An Epatis constructio , quam idem (5) invenit , majorem nobis lucem attulit ad Icterus , obstructions ejusdem Epatis , inflammationesque curandas ? Quis demum judicabit , ut cetera præteream , mictus sanguineos facilius fisti , & calculos Renum comminui melius , aut promptius excerni , postquam Laurentius Bellinus (6) structuram tubulorum

que

- (1) *Daniel Clericus in Hist. Med. P. 2. lib. 2. Cap. 6. p. m. 362.*
 (2) *Malpigh. in Exercit. Anat. de Cortice Cerebri.*
 (3) *Rayschius in Epist. 12. & Thesaur. Anat. variis in locis.*
Vieussenius in Novo Systemat. Nervorum. Laurentius Heisterus in Compend. Anat. Cap. de Cerebro , n. 270. Vide Prosperum Martianum in Notationibus libri 7. Epidem. Sect. 1. p. m. 290. ubi Praxagoræ sententiam de Arteriis Cerebri in fibras Nervorum transmutatis refert.
 (4) *Malpigh. de Pulmon. Epist. 1. & 2. ad Alphons. Borellum.*
 (5) *De Epate Cap. 3.*
 (6) *Operum P. 2. Exercitat. Anatom. de Structura & usu Renum.*

(XXIII)

que Renum, si Hoffmanno (7) & Heistero (8) fides habenda, demonstravit? Hæc & similia persequi, non Medicorum provincia est, sed Philosophorum, quos in natura peruestiganda inde incipere, recte dicendum est, ubi desinunt Medici, & quibus, ubi naturam, causasque rerum assequi scrutando non possunt, licet verisimilia confingere & comminisci. Quod si quis ad Medicinam quoque ejusmodi rerum inquisitionem utilem esse contenderit; ad adhibendam quidem in Physiologia doctrinæ pompam quasi quandam facile assentiar: ad medendum autem morbis, quod munus est artis proprium, non erit, qui facile concedat. Deerat istarum rerum cognitio veteribus Medicis; & tamen (ne quid dicam invidia dignum) eadem peritia morbos curabant, ac nostri, quibus de occultarum rerum investigatione sollicitis, interea sævit, ut antea, mors, grassaturque, minime coercita, aut retardata laudabili quidem eorum studio, & ad augendam, amplificandamque Philosophiam de homine perutili ac pernecessario; unde tamen nullum hætenus ægris auxilium profectum est. Dii faxint, ut fructum industriæ tantæ poster-

B 4

ra

(7) *Med. Ration. Systemat. T. I. Cap. 5. de Increment. Artis Medic. Systemat. §. 8.*

(8) *In Compend. Anatom. n. 219. de Renibus; ubi interiorē substantiam Renum tubulos vocat urinarios Bellini.*

(XXIV)

ra faltem ætas capiat ! Optandum id quidem certe ; at , si Fontenellio (1) fides adhibenda , vix sperandum .

Ut ad contenta veniamus , ex quibus humanum corpus , ut machina est , constat , quis unquam putabit , hæc nobis , quantum quidem pertinent ad artem nostram , obscura esse & ignota ? Cognoscimus nimirum , quod sæpe dictum est ab Hippocrate , a Galeno vero nimis fortasse sæpe , fluida nostri corporis ex quatuor humoribus componi . Cognoscimus sanguinem mistum esse ex sero , lymphâ , globulis rubris , tenuissimisque fibris , quæ ferum innatant . Non ignoramus , hæc rursus ex aqua , terra , varii generis salibus , & oleosis sulphureisque particulis esse confecta . Neque demum prætermissa a nobis sunt , quæ ab doctissimis viris , præeunte Rhoberto Boyle , sunt observata diligentius , qui humanum sanguinem per distillationem , admistionemque variarum rerum scrutantes , artem nostram cumulatissime auxerunt & ornarunt .

At nullam prorsus notitiam habemus eorum , quæ intus permeant , & Machinam nostri corporis movent . Non inficiamur , de his nos latere non pauca , quæ avidos cognitionis & scientiæ animos explere & ob-

(1) *In Dialog. Mortuor. Veter. cum Recentior. Dial. 5.*
Erasistratus , Harveus .

oblectare plurimum possunt. Nihil tamen eorum ignoramus, quæ ad pernoscendos pellendosque morbos usui nobis sunt. Non quærimus nimirum, an nomen spirituum animaliumtribuendum sit tenuissimæ substantiæ, quæ ab cerebro permanat ad totum corpus: neque curiosius inquirimus, quænam sit ejus materia, quæ forma, quæ generatio, qui motus. Quis enim hæc cernat, quæ longissime sunt a perceptione nostra sensuque disjuncta? Id unum perspectum habemus, quod nobis non ignotum esse oportet, vim nescioquam virtutemque diffundi a cerebro per nervos in omne corpus, unde omnium partium efficitur sensus & motus: quando ex Hippocrate, & diuturna observatione satis constat, ubi cerebrum, sive ob apoplexiam, sive ob ictum, aut vulnus, læsum sit, amitti sensum & motum partium earundem, neque eos recuperari, medicina adhibita partibus, quæ illos amiserunt, sed cerebro, unde eorum fons & origo est.

Amoliendum restat, quod tertio loco objectum est, non percipi a nobis hominem, ut vivens & animal est; cerni proinde minime posse, qui morbi corporis ab morbis animi, quique morbi animi ab morbis corporis creentur. O levem prorsus & inanem non Medicinam modo, sed Philosophiam plane omnem, si ad hæc investi-

gan-

(XXVI)

ganda percipere necessarium sit , quæ sit animi & corporis natura , quæ proprietates , quæ affectiones , quæ ratio consensus affectionum earundem ! De his & similibus quærere , non Medicorum , immo ne Philosophorum quidem provincia est : ad magistros pertinet primæ Philosophiæ , quorum officium est , quæ ab omni sensu & imaginatione disjuncta & remota sunt , aut scientia comprehendere , aut conjecturis persequi . Nostri munus est , exquirere & cognoscere , qui morbi corporis morbos animi , & vicissim , non investigata tamen consensus causa , sequantur , quibus noscantur signis , quibusque remediis sit iisdem succurrendum . Quæ omnia utrum præstare possimus , ne plura ejus rei exempla conquiram , satis intelligi potest ex Erasistrato Medico , (1) qui Antiochi summa tabe confecti ob amorem Stratonicæ novercæ , quem verecundia tegebat , ad-mota ad carpum manu , cognovit , & qua medicina sanandus esset , Seleuco Patri demonstravit .

Unum remanet discutiendum , quod postremo loco nobis oppositum est , eam nimirum esse consensionem omnium partium nostri corporis , ut quavis male affecta , una omnes afficiantur : inde fieri , ut in qua primo morbus insideat , in qua per

con-

(1) *Valer. Maxim. lib. 5. Cap. 7.*

consensum, quæque cujusque morbi sit origo, cerni nullo modo possit. Qui id nobis objiciunt, dictum Hippocratis perperam interpretantes, faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant. Cum divinus Senex significantibus verbis pronunciavit, *principium corporis nullum esse, sed omnia similiter principium, & omnia finem*, indicare nequaquam voluit, ex admirabili illa consensione omnium partium nostri corporis interclusam nobis esse viam omnem ad pervestigandum, qui morbi sint singularum partium proprii, qui per consensum: id unum demonstravit, ut notat doctissimus Martianus, (1) *nullam esse particulam nostri corporis, quæ ita sit aliarum principium, ut ceteris sanitatem & egritudinem faciat, ceteræ autem suas illi affectiones non transmittant*. Quis enim est in hac arte vel mediocriter versatus, quin cernat, certa esse signa plerorumque morborum; ut qui sint singularum partium proprii, qui per consensum, clare plerumque ac perspicue cognosci possit? Pleni sunt Medicorum libri signis & notis, unde morbi, quos idiopaticos vocant, a sympathicis internoscantur, quæque & morbos, & symptomata morborum nobis ostendant.

His rationibus theoreticam Medicinam defendere ac tueri conati sumus ab obtrecta-

(1) In Notat. lib. de Loc. in Hom. n. 1.

(XXVIII)

ſtatorum calumniis , ac , niſi vehementer fallimur , tutati ſumus . Satis quippe oſtendiſſe videmur , cognoſci a nobis hominem , & ut miſtum quoddam eſt , & ut machina , & ut vivens atque animal : cognoſci tamen , quantum pertinet ad artem noſtram , nec quidquam quæri amplius . Altiora abſtruſioraque de illo curioſius perſequi & perſcrutari Philoſophorum quidem , & illorum , qui in abſtractis rebus verſantur , munus & officium eſt : at nos , qui Medici eſſe volumus , in iis duntaxat , quæ ad tuendam ejus vitam , arcendos pellendosque morbos ſpectant , ſtudium & operam collocamus .

Quæſitum eſt a doctiſſimo viro Daniele Clerico in *Historia Medicinæ* (1) , quare Hippocrates adeo extulerit Philoſophiæ ſtudium , ut in libro de decenti Ornatu , (2) *Philoſophiam* , diceret , *ad Medicinam transferri oportere* , & *Medicinam ad Philoſophiam* : Contra vero ab Cornelio Celſo (3) dictum ſit , *Hippocratem primum ex omnibus memoria dignis fuiſſe* , qui ab ſtudio Philoſophiæ *Medicinam ſepararet* . Ut contradictioni occurreret , animadvertit , Hippocratem ex *Æſculapii familia* ortum , medendi artem pene cum lacte ſuxiſſe ; cum tamen videret , illam a Philoſophis
exer-

(1) *P. I. lib. 3. Cap. I.*

(2) *N. 4.*

(3) *In Præfat.*

(XXIX)

exerceri , (1) *a quibus medendi scientia sapientiæ pars habebatur* , ut honorem familiæ tueretur , Philosophiæ sub Magno Democrito , (2) *ut quidam crediderunt* , operam dedisse : ea percepta , cognovisse plane , (3) *per eam quidem excitari artificis ingenium , artis peritum nequaquam fieri* : materiam Philosophiæ esse naturam generaliter acceptam : medicinam vero hominis sani ægrique naturam intueri : ejus cognitionem diuturna observatione usuque comparari , ac totum hominem requirere : quare ei , qui Medicinam exercet , generale nomen Philosophi deponendum esse , ut peculiare Medici sustineat : hinc Hippocratem commendasse quidem Philosophiam ; ab ejus tamen studio , ut ait Celsus , Medicinam separasse .

Quæ cum ita sint , comprimant aliquando vocem homines ii , qui arti nostræ obrectare non verentur : quasi de humani corporis œconomia nihil perceptum , nihil cognitum nobis sit . Multa quidem , fatemur , de admirabili planeque divina ejus fabrica & artificio non tenemus : multa quoque posteritas omnis ignorabit ; ea tamen omnia , quæ ad sustentandam valetudinem , abigendosque morbos utilia sunt & necessaria , sedula inquisitione percipimus .

(1) *Idem ibidem.*

(2) *Idem ibidem.*

(3) *Idem ibidem.*

mus. Percipimus autem, non investigatione rerum, *quæ obscuræ sunt atque difficiles, eademque non necessaria*, in quas nimis magnum studium, multamque operam conferre, ut vitiosum reprehendit Cicero (1); sed eas inquirendo, quæ, ut ad tuendam vitam, curandosque morbos scitu necessariae sunt, ita ab Sapientissimo Providentissimoque humani generis Parente ac Opifice Deo sancitum est, ut labore haud improbo cognosci possint. Intelligant, (2) *rationalem quidem Medicinam esse debere*; instrui tamen, ut ceteras artes, non a remotis remotissimisque causis, sed a propioribus notisque, (3) *obscuris omnibus non a cognitione artificis, sed ab ipsa arte rejectis*. Intelligant, Hippocratem, quamvis (4) philosophicis anatomicisque in rebus fortasse non excelluerit, observando tamen, experiundo, & propiores causas, propriaque signa morborum investigando, celebritatem famæ tantam apud posteros consecutum esse, ut Medicorum Principis, Medicinæ Parentis, Divinique tributum ei nomen sit. Finem dicendi facio, dictum illud afferens Neoptolemi apud Ennium, (5) quod si ulla in re, in Medicina certe

(1) *De Offic. lib. 1. Cap. 6.*

(2) *Celsus in Præfat.*

(3) *Idem ibidem.*

(4) *Daniel Clericus in Hist. Med. lib. 4. Cap. 6. p. 363.*

(5) *Cicero Tusculan. Question. lib. 2. Cap. 1.*

(XXXI)

te jure usurpandum est : *philosophari quidem necesse esse , sed paucis ; nam omnino haud placere .*

F I N I S.

(XXX)

to the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

the ... of the ...
the ... of the ...
the ... of the ...

